

05

A

1902





Altissimo Adjuvante!

DISPUTATIONEM ETHICAM
De
ΜΕΓΑΛΟΥΤΥΧΙΑ

In Celeberrima VVITTEBERGENSI Academia

publicæ ventilationi submittant

P R Æ S E S


M. MATTHIAS ERASMUS Kohlreiff /
Svevo-Coloniensis,

&

R E S P O N D E N S

JOHANNES FRIDERICUS DEISLERUS,
Ligio-Silesius.

*Ad diem Horis matutinis,
in Auditorio Minori.*



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.
A. O. R. M. DC. LXIII.

DISPUTATIONEM ETHICAM

METAPHYSICA

In Celebratissima VITTEBERGENSI ACADEMIA

publice sustentata habebitur

P R A E S

M. MATTHIAS FRIDRICHUS DEISSNERUS



JOHANNES FRIDRICHUS DEISSNERUS

Lipso-Bucinus

2091 A 50

Ad hunc

in hujusmodi

.....

WITTEBERG

Typis JOHANNIS RÖHNERT ACADEM. TYPOGR.

A. O. R. M. DC. LXXX.



P R O O E M I U M.

Honoris ille nefandus & execrabilis pruritus, uti pri-
 mum fuit vitium, quod non tantum purissimos Spiritus,
 Augustinò tract. 49. in Johann. Cyrillò, Am-
 brosiò, plurimisq; Theologorum affirmantibus, à
 cœlo delapsos, ad orcum detrusit; sed & Majores nostros veri-
 tati divine factos incredulos, cum posteris unâ suis paradiso
 extorres, agros colere jussit aq; miseriam: Ita tam profun-
 das egit infelix hoc lolium in humano corde radices, ut quid
 illud non propter honorẽ audeat, nesciam. Sed cum Philosophi
 Practici vis sit, morum illa domare monstra, meritò in anti-
 quissimum hoc & omnium reliquorum parentem aciem strin-
 gat, quod commodius vix fieri poterit, quàm ad Μεγαλοψυ-
 χίας genuinam naturam si id reduxerit: Hanc ergò in pra-
 senti elegantissimam Virtutem, ab omni nevo aut labe alie-
 nam, in qua nec mancum aut superfluum invenias, animi con-
 templandam ocellis sistemus. Hoc ut ex voto succedat, faxie
 ille, Ὡς δὲ τὴν κροταλιὰν χεῖρα πάντες ἐταπεινώθημεν, ἵνα ἡμᾶς
 ὑψώσῃ ἐν καρῶ!

§. 1.

Ut ab ovo, quod dicitur, rem ordiamur, sciendum est, Vocẽ,
 Magnanimitatis esse ἐκ τῶν πολλῶν λέγομένων; Quando-
 que enim sumitur generalissimè, pro omnium Virtutum quasi
 ornamento, ut si Magnanimum nominaveris, virtute perfectã
 virtuosum dixeris: Ita in ejusdem doctrina, cæteras quoq; vir-
 tutes compendiosè tractat Philosophus per totum cap. 3. lib. 4. E-
 thic. Nic. ubi per Fortitudinem, Liberalitatem, Mansuetudi-
 nem, Comitatem & reliquos morales habitus Magnanimum
 deducit, ostendens, quomodo se in singulis gerere debeat; Un-
 de tandem concludit: διὰ τὸ χαλεπὸν τῆ ἀληθεία μεγαλό-
 ψυχον εἶναι, ἔστι γὰρ οἶόν τε ἀνευ καλοκαγαθίας. Accipitur de-
 inde specialiter, pro synonymo Fortitudinis, & de eo prædica-
 tur, quò in perferendis calamitatibus generosum se præstat, inq;

A 2

fusci-

suscipiendis rebus formidabilibus, magno atq; intrepido accedit animo, autoritate *Arist. l. 2. Eth. cap. 10. & Cic. l. 1. offic. Specialissimè* deniq; denominat talem Virtutem, quæ appetitum nostrum, circa magnos honores occupatum regit: Et hæc neglectis prioribus significationibus, præsentis tractationis thema erit.

§. 2.

Definitur autem Μεγαλοψυχία à Præceptoribus nostris, quod sit *Virtus moralis, circa honores magnos mediocritatem observans.* In Virtutum igitur collocatur ordinem (contra *Ado-ard. Gvalandum l. 10. Phil. mor. cap. 7. Sebast. Foxium l. 3. Phil. mor. c. 19. & Andr. Aidium l. 6. Eth. c. 7.*) propter generalis definitionis & omnium Virtutis requisitorum præsentiam: Agnoscit 1. idem genus, habitum præelectivum. 2. eandem formalitatem, qualis est rectitudo, sive convenientia cum lege naturæ; & mediocritas inter duo opposita vitia. 3. eandem Materiam, tum in quâ seu Subjectum *κατὰ φύσιν* & inhætionis, hominem nimirum corrigendum, quoad appetitum sensitivum (rationis tamen participem) per Adami lapsum corruptum: tum circa quam, sive objectum, quod est cupiditas honoris. 4. eundem Efficientem, nempe *Φύσιν* & naturalem ad honorem impetum; laus enim & honor adeò cum hominis vita complicata sunt, ut nulla sit ejus conditio, cui honoris cognitio non sit apprime utilis, de quâ re uberrimè egit ac elegantissimè *Piccolom. Phil. moral. grad. 8. cap. 23.* & inter alia ex Academicorum mente, ad demonstrandum naturale honoris in homine desiderium, hæc utitur Metaphora, à carcere iuncta: Est anima in hoc corpore, quasi in tetro carcere, compedibus & variis modis devincta, in eoq; quasi ebria dormit; propterea eget stimulis, ut expergiscatur, se solvat, vertaturq; ad lucem; stimuli sunt desideria veri honoris & gloriæ. Accedunt etiam naturæ adjutrices, *μαθήσις & ἀσκησις*, aut creberrima ad gloriam assuefactio; quamvis enim disertissimus *Cicero in Orat. pro Cæl.* suadeat, semper magno ingenio adolescentes esse refrænandos potius à gloria, quam ad eam invitandos: modestè tamen ipsi contradicentem, cum antiquitatis & multarum gentium suffragio, *Joh. Avenariùs Philos. pract. sub fin. dodes. 6. p. m. 120. consulat. Nec §. finis virtutis*
debitus

debitus in Magnanimitate deficit, quia propter honestatem, Reipublicæ utilitatem & Dei gloriam honorem appetere docet.

§. 3. Genus Virtutis excipit *Differentia specifica*, petita ab objecto: Non *generali*, quod esse poterit omne magnum in unaquaq; Virtute, ex sententia *Philos. l. 4. Eth. c. 3. δόξεις δ' αὖ εἶναι μεγαλοψύχας, τὸ ἐν ἐκάστη ἀρετῇ μέγα.* Hoc equidem largimur faciles, quod verè Magnanimum oporteat esse bonum: imò prorsus eundem ridiculum esse, nisi bonus sit, quoniam suavis est morum harmonia, & ad Virtutem perfectam maximè aliarum requiritur opera: Circa divitias tamen, potestatem & omnem fortunam, prosperam æquè ac adversam, tanquam objectum domesticum non versatur Magnanimitas; aliàs hæc Virtus omnium supplere vicem posset: Sed in his singulis singulæ Virtutes suam præstant operam, etiam quoad maximum in suo quæq; genere. Hinc quod Magnanimus fortissimus sit, Fortitudini; quod Magnificentissimus, Magnificentia, non Magnanimitati adscribendum.

§. 4. *Speciale* ergò & proprium objectum, nulli ex reliquis habitibus competens, propterea hunc ab istis universis atq; singulis discernens, assumendum est in præsentia. Constituit id ipsum *Philos. Honorem*, hæc usus collectione: Magnanimus versatur circa bonum maximum; Atq; honor est omnium externorum bonorum maximum: Ergò versatur circa Honorem. *Majoris* veritatem inde elicit: Si Magnanimus in communi magnis se ipsum dignum existimat, cum dignus sit; præcipuè uno ex iisdem, eoq; maximo se dignum æstimabit, intellige bono externo, dignitas enim ad bona externa spectat. *Minorem* verò tribus stabilivit rationibus; quia honorem maximè appetunt, qui splendent dignitate; quia Virtutum, tanquam præstantissimarum rerum est præmium; quia etiam ipsi Deo tribuitur, quando unaquaq; gens Numen suum, per adorationem, genuum flexionem, sacrificiorum dona & alias ceremonias summè reverenter tractat.

§. 5. Sed etiamsi Honor, earum rerum, quibus externè nobis advenientibus, lætamur & fortunati prædicamur, maximum appelletur; quò specialiori tamen adhuc objecto, Magnanimus se separet atq; elevet præ Modesto, qui etiam honoris curam gerit; sed mediocribus sive parvis, quibus dignus, contentus est, honorum

delectum instituit, inq; summis tantum eorum præeligendis prudenter se gerit. Unde Magnanimitas Heroicæ ferè Virtutis induit indolem; quamvis enim absolute sic dicta Heroica Virtus non sit, quia magnanimi heroicò splendore destituti inveniri possunt: At tamen per similitudinem & proportionem hunc titulum meretur, comparatione inter cæteras Virtutes institutâ, quatenus præ omnibus aliis in eâ, dum humilibus & popularibus, susq; deq; factis honoribus, solos sublimes sectatur atq; serios, heroicus fulgor splendidissimos emittit radios: Cum primis Modestiae opposita, heroica in appetendo honore moderatio jure appellari potest: Et crescente ejusdem splendore, adq; finem eminentiorem se elevante, profus nihil abest, quin pro ipsa Virtutum Regina venerari possimus illam. *Vid. Piccol. grad. 8. cap. 4. & 5.*

§. 6. Cæterum, quinam in honorum serie summi isti & supremi sint, qui occupatum reddunt Magnanimum, cognoscere juvabit: Depromuntur autem honoris gradus ex tribus primariis circumstantiis. *Prima*, eaq; præcipua juxta *Platonem l. 5. de LL.* ordinatio, ab æstimatione sive gradibus ipsorum meritorum petitur: Una enim Virtus, sicut antecellit alteram; ita etiam eminentioris cultori superior convenit honor, quod postea distinctè declarabimus. Ex hac itaq; parte, Magnanimo maximus honor est, non qui ob qualemcunq; virtutem aut viliozem ipsi exhiberi potest, etenim τῆς τιμῆς παρὰ τῶν τυχόντων καὶ ἐπιμνηστικῆς, πάντων ὀλιγορήσει ἢ γὰρ τὰ τῶν ἀξίων. *l. 4. c. 3.* Sed ille solus, qui eidem pro Virtute, nobiliori & illustriori earum, quibus claret, debetur. *Secundo* honoris sublimitas pendet à persona eundem offerente; ille enim, qui ab imperito Vulgo & privatis proficiscitur, minime æquandus ei, quem Viri prudentes & in publica dignitate constituti conferunt. *Tertii* honoris gradus constituuntur ex parte ipsius honoris, secundum signum & materiem ejus externam. Consistit hæc, vel in sermone & verbis, ut sunt orationes panegyricæ, gratulationes, carmina, testimonia & istis similia: Vel in gradu dignitatis aliquo, cum insignibus & privilegiis ejusdem, quando Equites, Nobiles, Doctores, Magistri creantur, aut ad officia honorifica obeunda, vocatur aliquis & confirmatur: Vel demum in rebus ipsis, pro signis honoris tributis, quò spectant donationes & munera honorifica, splen-

splendidorum vestimentorum indutio, annulorum & diadematum ornatus, impositio mitræ purpureæ aut coronæ, traditio sceptri, ensis atq; stolæ, largitio albi calculi, & multa alia hujus farinae, pro consuetudine gentis differentia. Hi sunt gradus in materia honoris considerati; quinam autem primus, quive postremus sit, incertitudine & accuratâ determinatione caret. *Piccol. grad. 8. cap. 30.* illum honorem, qui in verbis positus est, magis vivum; qui in gradibus dignitatis & memoriæ, constantiorem; qui in rebus donotributis, utiliore esse animadvertit. Magnanimus ergo & vivum & constantem honorem maximè sibi expetendum esse cogitet; utilem verò ab appetitu ejus removet ipse *Arist. l. d.* scribens: οἱ κακῶς θάμαλλον τὰ καλὰ καὶ ἀκαρπία τῶν καρπύμων καὶ ὠφελίμων, αὐτάρκοις γὰρ μάλλον.

§. 7. Cognitio objecto externò, quod Honor magnus erat, de interno etiam instituenda est quaestio. Agitur hic *Controversia*, inter Latinos Virorum Clarissimos, & Græcos Philosophos, *Platonem, Aristotelem, Galenum atq; Simplicium*; præcipuè verò etiam *Piccolomineum* in horum castra succedentem: An Honor sive gloria & ejusdem appetitus, pertineat ad appetitum irascendi; an cupiendi? Posterius Latinis placebat; prius verò, uti veritate niti autumat; ita acerrimè defendit laudatus Philosophus Patavinus *grad. 1. cap. 11.* ex hac nimirum hypothese: Sicut omnes voluptates ad duo genera referri possunt, animi videlicet & corporis; Ita appetitum etiam omnem duplicem tantum facit, irascibilem & concupiscibilem. Appetitui cupiendi vel concupiscendi pro objecto tribuit, bonum jucundum & voluptuosum ad sensus & corpus pertinens; irascibili verò, omnem voluptatem animi, sive bonum illud, quod magis ad animum tendit, quale etiam est honor & gloria, de quibus prolixè videri poterit *grad. 4. c. 28.* Unde etiam *c. 29.* Magnanimitatem pariter ac Modestiam tali definitione sistit, quod sint mediocritates, rectè componentes appetitum irascendi, circa præeligendos honores: Sed non hic loci

est nostrum inter eos tantas componere lites.

Asserimus id, quod nemo forsitan in dubium vocabit: *Cupiditatem honoris* Magnanimitatis non solum; sed & Modestiae objectum internum merito dici: Quamvis enim honor bonum animi sit;

mi sit; desiderium tamen aut cupido, æquè ac corporis voluptati, ipsi denegari nequit. Si verò ad peculiarem aliquam perturbationem, sive affectum Appetitus sensitivi, quem circa honores magnos Magnanimitas moderaret, descendendum foret, certus quidem difficulter determinabilis: Ipsum tamen nomen Magnanimitatis, intrepidum & generosum; contrà ejus oppositum Pusillanimitas, defectum confidentiæ notans, metus & confidentiæ correctionem quandam inferre videntur: Cujus consideratione inductus ipse forsitan *Piccol. grad. 4. c. 51.* Magnanimitatem vocat speciem fortitudinis; quoniam eminens quædam animi fortitudo, quâ vitia & mortalia conculcamus.

§. 8. Ut autem in objecto duo veniunt excutienda: Materiale & Formale. Ita & nos, materiali hujus Virtutis constituto, pergimus ad Formale ejusdem, sive ipsam Virtutis formalitatem, quam confusionis vitandæ gratiâ, duplici iterû expendimus ratione: Alia n. dicitur à priori & essentialiter constituens; à posteriori alia & essentialiter consequens. Prior formalis ratio, constitutiva Magnanimitatis, est istiusmodi appetitus humani, circa honores magnos expetendos moderatio, ut ille rectæ rationi conformis, & legi naturæ conveniens evadat. Ita sana s'vadet ratio, neq; ex una parte, appetitum hunc & cupiditatem honoris, ex animo prudentis prorsus esse averruncandum, quo de confer *Avenarium pract. quest. dodec. 6, qv. 3. & Libent. exer. Eth. 10. q. 1.* neq; ex altera parte, eidem tantoperè indulgendum, ut totum insumat animum atq; hominem. Huc referenda quæstio; An honoris & Vitæ par sit habenda ratio? quam ventilaverunt *Libent. d. l. quest. 4. & B. D. Balduinus in Cas. Consc. l. 4. c. 1. cas. 15. p. m. 893.*

§. 9. Alterum formale consequens, est *Mediocritas*, sicut in omnibus etiam reliquis habitibus moralibus communiter poni solet. Denegant equidem nonnulli formam hanc Magnanimitati, quoniam non in mediocribus; sed summis & maximis honoribus posita dicitur, indeq; argumentum hauriunt privandi eam nomine Virtutis: Sed quid ad hoc Philosophus? Ille *l. 4. c. 3.* inquit: *ἔστι δὴ ὁ μεγαλοψυχὸς, τῶ μὲν μεγάλῃ ἀνεῖται δὲ αἰσθεῖς, μέσῳ δὲ.* Certò quippe respectu, versari in maximo æquè ac medio dici potest: In maximo, quoad considerationem Obj. externi, honoris nempe
sum-

summi, quò modò se dignum esse animadvertit; In medio autem, cum quoad obj. internum, latitudinem puta perturbationis aut appetitus, circa dictum honorem: ita ut ille nec nimius sit, nec plane nullus; gerat se circa honorem etiam maximum non ita, tanquam maximum bonum reputans: comparatò eo non multum gaudeat, nec amissò multum doleat, contentus interno testimoniò propriæ conscientiæ; tum intuendo duo extrema Vitia, inter quæ media posita est Magnanimitas; Adhuc etiam *Franciscus Senensis grad. 4. cap. 6.* ratione circumstantiarum hanc Virtutem medium servare asserit, quod maximos honores non appetat, quando, quantum, quando, à quo & pro quibus non oportet; sed in omnibus his modum servando.

§. 10. Mediocritas igitur hujus Virtutis, ut eò plenius constet, secundum seriem circumstantiarum, quas nobis *Paduensis ille Philosophus* monstravit, eandem ampliori subjiciemus considerationi. Primum est *quando*, ne Magnanimus in magno appetendo honore, temporis scilicet respectu sui, sive ætatis posthabeat rationem: Quamdiu enim ex ephebis nondum excessit, neque ad annos pervenit discretionis: Quamdiu item in dispositione tantummodo Virtutis hæret, adeò commodè bonorum culmina petere nequit; Sed quò dignus sit maximo hęc Virtutis præmio, istius ut comparaverit habitum, requiratur: Utque se eòdem dignum esse, ipse dignoscere queat, prudenti consilio & iudicio pollere debet, quod annos raro antevertit.

§. 11. Sequitur *Quantum*. Ibi forsitan aliquis *σδιηρόζηλον* nos struere cogitaret, quoniam diximus antea, Magnanimo licere, ut magnos, imò maximos accipiat honores; hęc tamen & circa honoris magnitudinem medium aliquod observandū requirimus: Sed res in salvo est, nec ulla introducitur contradictio. Hoc ut solidè demonstremus, notetur Magnanimorum dari gradus aliquot. Alii optimi sunt & excellentes, utpote qui multarum Virtutum splendore coruscant: imò perfectâ & universali Virtute boni sunt, & hi admodum apparent rari, quoniam difficile est, asserente ipso Arist. reverà Magnanimum esse: Alii contrà dantur boni quidem, & nomine virtutis cujusdam præclaræ clari; meliores tamen esse possent, si pluribus micare allaborassent. De u-

B

trisq;

etisq; itaq; , quamvis non eodem modo, statuimus, quod unâ maximum & medium honorem, magnanimitè appetere debeant. Priores τῆ ἀληθεία Magnanimi, quibus Philosophorum Princeps consulit, ut honores etiam suis meritis minores non aspernentur, sed eos admittant, quia Viri boni non habeant majores, quos ipsis tribuant, neq; perfectæ Virtuti dignus honor inveniri possit. Hi inquam, maximum sectantur honorem, quia major nullibi datur; medium autem, quia majore quidem perdigni sunt. Cæteri respectivè Magnanimi, honores consequuntur summos, quia majoribus non digni sunt, nec Virtutes eorum altiora meruerunt; medios, quia majores dantur, Virtutibus tamen præstantioribus tantum debiti, quos si hi appeterent, à Magnanimitatis recederent semita.

§. 12. Potest præterea aliter excusari, quod à Magnanimo exigamus, ut maximis simul & non maximis, sive mediis & sibi convenientibus honoribus studeat: Ultra triplices enim istos honoris gradus, quos §. 6. enarravimus, constituuntur etiam alii, ex parte conditionis & status eorum, qui honores sectantur. Ita Deo respondet primus honoris gradus, secundus separatis mentibus, tertius homini: Porro in Rep. diversi se fiunt personarum ordines, superior Publicarum, inferior privatarum. Inter istas, Monarchiam præcedentem sequuntur Reges & hos Principes: inter has, iterum aliæ dantur magis & minus nobiles. Atq; gradus hos, ipsa etiam earum Virtute, ceu fundamento firmari credit *Piccolom. grad. 8. cap. 30.* Quia, ut in universa natura gradus superiores, eminentiori quadam Virtute fulgent ornati, quam inferiores: ita putat, supremos principes supremam inter homines esse Virtute præditos, humiliores humiliore. Et sanè nos ad stipulantes habebit; Vir enim virtuosus, si in publica sit dignitate aut officio constitutus, jure majori ornatur honore, quam privatus, quoniam ille, ut hic notantur, ipse honestis incumbit actionibus; sed pro potestate & auctoritate sua, etiam alios ad simile Virtutum exercitium assefacit, sinistrè autem agentes diris persequitur pœnis, atq; sic ejus Virtus, præ privati multò illustrior evadit atq; amplior. Egregiè hac de re disseruit *Plato l. 5. de LL.* inter alia sic loquens: Qui aliis bonis abundat, quæ in alios quoq; effundi possunt, si cæteros participes efficit, tanquam Vir summus est honorandus, qui autem id facere vellet

vellet quidem; sed non potest, secundo loco habendus: Et Civis ergo & Princeps Magnanimus, quorum nulli magni honores denegantur, excedentes nimirum conditionem & statum suum honores tamen non desiderent: Nec ille istos, qui Principi; Nec hic, qui summo Regum Regi, Deo soli competunt.

§. 13. Nunc quomodo aut quibus mediis, ad honores adspirandum sit, videamus. Romani templa honoris & Virtutis ita junxerunt, ut nemo ingredi posset in templum honoris, nisi transiret per templum Virtutis. *Piccol gr. 8. sub fin. cap. 27.* quò ipsò indicare voluerunt, quam insolubili nodo, honor cum Virtute jungatur, ut nulla alia ad eum legitima via detur, nisi ardua & aspera Virtutum. In his cum aliquis defudaverit, honores oblatos temerè non amplius recusare, non verò oblatis, convenienti modo debitos efflagitare potest. Absit ergo à Magnanimo ambitus crimen, quod contra bonos mores, largitionibus & certò aris numerato pretio, corrumpit illos, penes quos dignitates conferendi potestas residet, ut in compositis istas vendant subjectis. Qui turpissimus mos, uti nec heri aut nudiù tertium primùm ortus est, *Ovidiò etiam clamante*
l. 1. Fast. In pretio pretium nunc est, dat census honores,

Census amicitias, pauper ubiq; jacet.

Ita hodie verè inolevit, cum maximo Reip. detrimento. Præbet enim istiusmodi ambitio 1. anam avaritiæ & immoderato pecuniæ studio, ut promotores pariter ac promovendi, majori in pretio divitias habeant quàm Virtutem. 2. nefandâ *μεταμορφώσε* honorem, qui præmium Virtutis debebat esse, vertit in Vitiorum alimentum. 3. efficit, ut Viri probi & honore digni, nisi nummis datis prævaleant, in promotionibus indignis postponantur, vel planè capiant repulsam. Unde nihil sperandum certius, vel metuendum potius, quàm Reipublicæ ruina certissima.

§. 14. Hoc animadvertentes Augusti Imperatores, severissimis legibus tales prohibuere nundinationes. Habemus Legem Juliam de ambitu ff. l. 48. tit. 14. ita sonantem: *Quod si in municipio contra hanc legem magistratum aut sacerdotium quis petierit, per Senatus consultum centum aureis, cum infamia punitur. Quà lege damnatus, si alium convixerit, in integrum restituitur, non tamen pecuniam recipit.* Et multæ aliæ leges, huic similes rogatæ apud Romanos sunt, ut

est lex Calpurnia, Tullia, Pompeja, Favia, Licinia, quibus interdī-
ctum etiam, ne quis prandiō datō Magistratum iniret, aut coi-
tiones honorum adipiscendorum causa haberet, vel operam ad cor-
rumpenda suffragia interponeret. *Avenar. pract. quest. 4. dodec. 5.*
Conferri hic potest de suffragio *Cod. l. 4. t. 3. § in Corpore Pontificio*
o. 1. q. 1. seqq. X. lib 5. t. 3. de Simonia, quā quis Sacerdotium suffra-
gio pretii sibi comparat. Non abludivit ab hoc modo, alius æquē
illegitimus; in Politia tamen sacra maximē frequens, ut non Vir-
tute sive eruditione, sed amicitia & affinitate officia sacra
comparentur: Unde quibus, in publico munere Ecclesiastico vel
alio quodam, DEO servire volupe est, voti sui non possunt fieri cō-
potes, nisi Virginem quādam aut Viduam, ex amicis & fautori-
bus promotorum, nexu sibi jungant individuo: Sed apage hæc
media, meliora docet Comicus:

Virtute ambire oportet, non fautoribus.

Ergō nec amicis. Et quis sanæ mentis erectiq; animi non et-
iam reprobabit, quod multi vi & armis; multi læsione vitæ æquē
ac famæ aliorum: alii contrā adulatione & fraude; alii quasi de-
sperabundi, precibus & lachrymis utantur, quando ad dignitates per
merita & Virtutes ascendere non licet.

§. 15. Decet porrō Magnanimum, etiam circumspectum esse
atq; cautum illius personæ, à quā honor ejus proficiscatur; ab u-
noquoq; enim oblatum magnificere, indignum se arbitretur esse
officium. Sit ergō ille, cujus honor Magnanimo gratum atq; ac-
ceptum debet esse donum, 1. *Vir prudens*, qui honesta à turpibus,
pretiosum à vili, rectum à corrupto, vitiorum furfures à virtutis
polline exactè discernendi pollet *divines. 2. Virtutum actionibus*
ipse celebris. Unde Hector apud Navium: Latus sum laudari
ne abs te Pater, laudato Viro, & *Cic. in Epist. fam.* eam demum ju-
eundam laudem esse prædicat, quæ ab iis proficiscitur, qui & ipsi
in laude vixerunt. 3. præcipuè *Justitia splendeat*, ut ejus consuetu-
do sit atq; intentio, justam inter merita & præmia servare æquali-
tatem; ne in stadio Virtutis strenuè laborantibus honores dene-
get, aut desidiosis, solius lucri causa, non debitos affricet; sed eos-
dem, inter diversos secundum Geometricam, inter æquales juxta
Arithmeticam distribuat proportionem. 4. suum debitum honorē
maximē

maximè consequitur *μεγαλόψυχος* Θ , si persona promovens sit dignitate conspicua, ut sunt Principes, ac illi illustriores cives, qui magistratibus præfunt, inquit *Piccolom. gr. 8. c. 24.* Cum enim munus horum sit præesse legibus, servareq; eas, maximè sunt apti judicare, qui eas servant, & qui in patriam beneficia conferunt: ac propterea ad eos præsertim pertinet, Viros benè meritos honore afficere, & in eorum manibus res illæ sunt collocatæ, quæ illustrius Virtutem significare valent.

§. 16. Iccirco flacci facit, & fumis æquat atq; favillis, Magni animus istiusmodi laureolas, quas imponunt, *vel Viri improbi*, qui depravatum habent iudicium. Quoniam enim illi nesciunt, quid laude aut vituperio dignum sit, nec debito modo præmia distribuere possunt. Hinc *Plato in Thæteto*: Nescienti, quid laudet aut vituperet, non est adhibenda fides: Et quoniam ipsi Virtutem non excoluerunt, pro testibus alienæ Virtutis adhiberi nequeunt: *Vel ignara plebs & multorum capitum monstrum*, cuius iudicium de Virtutibus tanti habetur, quantum cæci de coloribus.

§. 17. Tandem devenimus ad ipsius Honoris Correlativum, inquisituri, cuius rei ille præmium sit, ac *pro quibus* eum exposcere *μεγαλόψυχος* Θ debeat. Sanè ut honor bonum est, ita etiam bonitate: & quia bonum maximum, summâ bonitate comparari creditur. Distributis ergo bonis tripliciter, ut alia dicantur esse extra, alia in animo; alia in corpore, ea quæ in animo sunt, cum *Arist. l. 1. Eth. Nic. cap. 8.* dicimus esse potentissima & maximè bona. At quia horum iterum, alia sunt naturalia & congenita, ut bonum ingenium, felix memoria, acumen iudicii & sensuum vigor; alia autem labore & experientia parta, hæc istis præstantiora sunt æstimanda. Sistit eadem Virtus, cuius possessori soli, inter hominum cœtum deferendus honor est, quoniam Virtutis præmium. Cum autem neminem fugiat, Virtutem animæ duplicis esse generis: alteram rationis, quò spectant habitus intellectuales, sive Virtutes Theoreticæ; alteram moralem, quales sunt Virtutes Ethicæ & omnis honesta actio, operæ pretium esse ducimus, in hac nobili materia ultrà prodire, & an unicuiq; Virtuti, an quibusdam tantum honor conveniat, disquirere, quò dubia Aristotelis sententia nobis perspicua fiat, qui aliquando universè dicit honorem esse præmium.

Virtutis; aliquando autem id contrahit ad morales; nec non in quibusdam locis, id planè restringit ad beneficentiam.

§. 18. De Virtute equevidem morali, quod honorem mereatur, veritas stat fixa: An autem de unica tantum Beneficentia intelligi res debeat? id ventilationem postulat. *Aristot. l. 1. Rhetor.* hoc non tantum vult; sed etiam *l. 8. moral. Nicom.* beneficentiam privatam excludere videtur, quando ait, honorem esse bonum publicum, & ei tantum tribuendum, qui beneficium in Rempubl. contulit: Verum excusatur plenissimè ab *Italorum Professore, grad. 8. cap. 25.* Etenim α . Stagiritæ, beneficentiam in Remp. actu non semper secundo notavit; sed inclusit simul potentiam & voluntatem benefaciendi, quomodo omnes probi dicuntur Rcip. prodesse, improbi obesse: tum, quia exemplo sui & præceptis, dirigunt & hortantur cæteros ad probitatem; tum, quamvis non semper sua operâ & officio profint; semper tamen quia probi sunt, ut tales, necessario pro facultate sunt parati, in quavis opportunitate sua patriæ prodesse. β . Philosophus regulam, quam *4. Metaphys.* docuerat, hîc observavit: nimirum de Analogis aliquem disferturum, præsertim & propriè de primo, sive eo, cui $\pi\rho\tau\omega\varsigma$ nomen convenit, teneri verba facere, tanquam mensura cæterorum. Ita ex beneficentiæ formis, quarum variæ dantur, non tamen univocæ, sed analogicæ, illam tantum desumpsit in loc. cit. quæ communior, magis publica, pluribus profutura, meliorq; est: Et quia hæc propterea etiam magis digna honore, adjunxit ipsi ex honorum serie primum & maximè proprium, nempe publicum, qui perfectus & primò censendus honor est. Interim beneficentiæ privatæ, tanquam secundariæ, non denegavit honorem etiam secundarium sive privatum.

§. 19. Stat ergò sententia Doctoris suo talo, quod honor publicus primò conveniat illi, qui plurimis meritis in Remp. est illustris. Sed quid de altero: An beneficus tantum honorandus; nonne & fortis, temperans? Doctissimè hoc quoq; à *Patavino Scriptore grad. 8. c. 27.* explicatum invenies. Dum enim dicitur, honorem esse præmium Virtutis, assignatur adæquatum & commune honoris objectum; dum verò, esse præmium opinionis benefaciendi, eruitur object. principale, sive primaria ratio, per quam aliquis redditur honore dignus: Atq; hoc colligere licet *ex l. 8. c. 14. Eth.*
ubi

ubi honos vocatur præmium, & beneficentiæ & Virtutis; istius tamen præ-
mariò, quia summus honor potissimum inspicit beneficia in Remp. collata.
Populus etiam ad honorandum aliquem, præsertim excitatur ab opinione
beneficentiæ, quam maximi facit.

§. 20. Verum enim verò de Virtute rationali, an & ea hominem ho-
nore dignum reddere queat? res primo intuitu aliquantum videtur intricati-
or; faciliori tamen & hic scrupulus tollitur negotio: Etenim Vir, solitaria
Virtute contemplativâ præditus, sine omni moralium actionum splendore,
honore non tantum indignus, sed & dedecore maximè atq; vituperio notan-
dus judicatur. Sin a. habitibus moralibus additus fuerit habitus contemplati-
vus, Contemplatori non modò, honor civilis non denegandus; sed & hoc
ipsò major reverentia ei exhibenda. Ideoq; principalis honoris causa, est
Virtus rationalis; causa verò sine qua non, moralis, hâc enim positâ, honor et-
iam ponitur, remotâ removetur. *Piccolomineus* nodum quoq; optimè solvit
hac distinctione: Honor magis propriè & proximius competit Virtuti mo-
rali & actionibus ejus; potiori verò modo & tanquam primi principio, emi-
nentiori q; bono, contemplationi.

§. 21. Ut distinctè, de speciebus aliquot maximè receptis Virtutum
Theoreticarum, faciamus periculum, de *Prudentiæ* habitu nullus fortean hæ-
sitabit, eum honore non dignum esse, si theoria cum praxi jungatur.
Nec minor est fides de *Juris prudentiâ*, quoniam hæc æquè ac ista, in actio-
nibus hominum disponendis versatur, illa, quatenus ad honestatem compo-
nendæ; hæc, quatenus legibus conformes reddendæ. Quod ad *Sapientiam*,
maximè omnium ea meretur honorem, quia hanc Virtutem maximè Deus ha-
bet; quia cum primis in divinorum consideratione versatur; quia in postre-
mâ perfectione constituta, ipsas Virtutes morales tanquam fructus gignit.
Neq; officit, quod non inveniatur præmium, dignitati Sapientiæ respondens,
quia 1. datur testimonium ejus, quod Vir sapiens magni facit. 2. Sapientibus
non respondet civilis ille & popularis honor, qui civibus ob præclaras Vir-
tutes congruit; illum enim sapientes negligunt; sed convenit reverentia,
quædam, quæ honoris gradus est eminentior. *Piccolom. grad 8. cap 29.* Hinc
Theologi, ob eminentis objectum contemplationis & imitationis suæ, Reve-
rendi germ. Ehrwürdigē salutantur, quia, quamvis quocunq; affecti honore
fuerint, nunquam tamen satis sint honorati; sed usq; digni honore rema-
neant, dum manet ipsos honor in coelis debitus.

§. 22. De *Scientia* idem esto Judicium, juxta *Arist. in proœm. l. i. de ani-
ma.* De *Medicorum* honore, etiam in Academia sua studium hoc impensè
flore-

floreret, admodum ambiguè sentit *Piccol.* Cum n. dicatur: *Honora Medicum* propter necessitatem, apertè indicari censet, non propriè eum esse honorandum; sed ob ejus necessitatem; quia tamen ingenua aliqua ars sit, honorem quendam latè sumtum, tandem ei concedit. Satis itaq; ex dictis constabit, pro quibus Virtutibus, secundum gradus dignitatis earundem, honorem appetere mediū, aut pro quibus maximū, efflagitare honestè possit Magnanimus.

§. 23. Nihilominus tamen inveniuntur nonnulli, qui honorem, quem nos solius Virtutis præmium æstimamus, oppositis Vitiis affingere non erubescunt, & impios etiam honore esse prosequendos effutiunt, his fundamentis suæ opinionis colorem inducentes: Quia obvenientibus, aut nobiscum conversantibus improbis æquè ac probis, honorificis gestibus blandimur. Quia Viris in officio publico constitutis, etiamsi vitam non ad eò probam duxerint, honorem tribuimus. Verum ad primum Respond. 1. Dist. inter id, quod inscii facimus & quod studiò: malos honoramus sæpè incognitò, cum quævis objecta occurrentia, nobis non sint nota, nec eorum Virtutes sive Vitiis; tunc in genere erga omnes modestos nos exhibemus, nisi fortè digni honore istis interfuerint, iis derogasse aliquid videamur. 2. Dist. inter honorem abusivè acceptū, pro ceremonia benevolæ opinionis, & sic bonis æquè ac malis convenit: & propriè, quatenus est signum reverentiæ, exhibitum alicui in testimonium Virtutis. Secundum quoq; nihil habet in recessu argumentū: Viros enim dignitate officii eminentes, utut vitiis quibusdam etiam notoriis suam auctoritatem prostituisent, non tamen ut tales; sed si modo munere suo rectè fuerint functi, ut beneficos & benè de Republ. meritos honoramus.

§. 24. Ostendimus hæcenus, quomodo bona animi interna, sive Virtutes tantummodò Magnanimus honoris reddant compotem: Restat adhuc, ut pro firmanda magis sententia, paucis etiam indicemus: An per bona externa & prosperos fortunæ successus, honorem etiam venari Magnanimus deceat. Quod dubium ipse *Philos.* 1.4. c.3. movit. *Divitiis* multum, quidè tribuere *Veteres*; sed refutatam eorum sententiam cū consensu omnium ferè omnis generis sapientium Virorum, consule *Liebeth. exerc. Polit. 10. quest. 2. & Schonb. Pol. 1.3. c.39.* Quod ad *Nobilitatem sive natalium splendorem*, nihil hoc ipso ad honorem aucupandum indiget Magnanimus apud *Turcas*, qui præter Sultani prosapiam, oppressis nobilibus familiis, honores officiorum etiam obscurissimis offerunt, ut quilibet Eunuchus vel bubulcus, modo aut consilio valeat, aut manu sit strenuus, ad supremam dignitatem *Veziri* vel *Basæ* possit conscendere, non hæreditariam, nec ad liberos, nisi cum simili Virtute propagandā, enarrante *CL. Philologo Schikardo in Tarich. Reg. Pers. præm. pag. 23.* Mos sanè haut ad eò improbandus: Ex rei enim Veritate solus bonus honorandus est, cui verò & Virtus & fortuna adest, is honore dignior habetur: Qui autem sine Virtute talia externa bona possidet, & propter hæc ipsa, magnis se dignum existimat honoribus, non Magnanimus, sed Magnanimi est simia.

§. 25. Extrema huic medio, & Vitiis huic Virtuti opposita duo sunt: alterum in *ὕπερβολῆς* alterum in *ἐλλείψει* delinquens. Excedens est *χαυνοτης* animi elatio, Aristoteli etiam *ἠλιθιότης* vocata, quando aliquis honores majores, quam dignus affectat. Deficiens *Μικροψυχία* seu Pusillanimitas, quæ humili angustòq; animo, licitos etiam & debitos honores aliquis aspernatur, & propterea honestas quoq; negligit actiones. Sed de his Vitiis, effusè agentem cog-

legas *Heiderum* atq; alios. Nos receptui canentes, *Terentiano* hoc concludimus:

Ad primè in Vita est utilis, ut ne quid nimis.

05 A 1902

ULB Halle


3

003 786 48X



1077





Altissimo Adjuvante!
DISPUTATIONEM ETHICAM
De
ΜΕΓΑΛΟΥΤΥΧΙΑ
In Celeberrima VVITTEBERGENSI Academia
publica ventilationi submitunt
P R Æ S E S
M. MATTHIAS ERASMUS Kohlreiff /
Svevo-Coloniensis,
&
RESPONDENS
JOHANNES FRIDERICUS DEISLERUS,
Ligio-Silesius.

*Ad diem Horis matutinis,
in Auditorio Minori.*



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.
A. O. R. M. DC. LXIII.

